



Institutiones Theologicae Ad Usum Seminariorum

Simonnet, Edmond

Venetiis, 1731

Resp. 2. Motus concupiscentiæ secundùm se, & absque omni consensu voluntatis, nequidem possunt esse peccata venialia.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-83594](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-83594)

eos carere omni peccato vite propriæ, eos nihil mali voluntate propria committere, eos nec rationis nec libertatis usum habere, & eos sic nullum prorsus habere peccatum personale. Itaque ex S. Doctore, ad peccatum actuale & personale essentialiter requiritur, ut voluntarium sit voluntate propria peccantis; & hoc ita indubitatum est, ut omnibus notum sit, parvulos non habere peccatum personale, quia omnibus notum est, eos nihil mali voluntate propria committere, & tanta constet evidentiâ parvulos non habere peccatum personale, quanta constat eos nihil mali voluntate propria committere.

Obj. 1. Omnes motus concupiscentiæ prohibentur per legem illam, *Non concupisces*. Ergo, &c. *Resp.* omnem motum concupiscentiæ prohiberi, quâ voluntarius, non quâ naturalis motus est; vel potius non tam ipsum concupiscentiæ motum prohiberi, quâm voluntatis consensum, quo concupiscentiæ motus fit voluntarius: Deus enim per præceptum illud, *Non concupisces*, non prohibet nobis, ne habeamus motus concupiscentiæ, sed ne illis consentiamus. Ratio est, quia sicut Deus ea tantum nobis præcipit, quæ facere, ita ea tantum prohibet nobis, quæ omittere possumus. At non possumus carere motibus concupiscentiæ, sed solum possumus illis non consentire, ut patet ex Apostolo supra relato. Hinc à duobus Pontificibus, & cum illis ab universa Ecclesiâ hæc Baji propositiones, 50. *Prava desideria, quibus ratio non consentit, & que homo invitus patitur, sunt prohibita præcepto; 51. Concupiscentia, sive lex membrorum, & prava ejus desideria que inviti sentiunt homines, sunt vera legis inobedientia, damnata fuerunt.*

Dices. Hæc doctrina repugnat Augustino lib. de Spir. & lit. c. ult. & lib. 2. de nupt. & concup. c. 29. quibus locis docet hanc legem, *Non concupisces*, non posse servari in hac vita propter motus concupiscentiæ. Unde sic argumentor. Si lex, *Non concupisces*, non prohiberet ipsos motus concupiscentiæ, sed solum voluntatis consensum, posset in hac vita servari: potest enim voluntas, auxilio gratiæ adjuta, omnibus concupiscentiæ motibus dissentire. Atqui ex Augustino, lex, *Non concupisces*, non potest servari in hac vita. Ergo ex Augustino, non solum prohibet consensum voluntatis, sed etiam ipsos concupiscentiæ motus, etiam omnem voluntatis consensum prævenientes.

R. in hac lege, *Non concupisces*, secundum mentem S. Doctoris, duo distinguenda esse, finem scilicet & medium. Finis est, nullos experiri concupiscentiæ motus; medium verò, insurgentibus concupiscentiæ motibus resistere, imò ad illos impediendos moralem diligentiam & cautionem adhibere, præsertim quando solent ad consensum pertrahere. S. autem Augustinus locis citatis dicit tantum legem, *Non concupisces*, in hac vita servari non posse quantum ad finem, quia non possumus in hac vita carere omni motu concupiscentiæ. At servari potest quantum ad medium: possumus enim moralem diligentiam & cautionem adhibere ad impediendos concupiscentiæ motus, & si insurgant, illis resistere, quod sufficit ut contra legem illam non peccemus. Propriè enim obligatio legis est ad usum mediorum, non ad finis affectionem; nec transgressor legis censetur, qui non assequitur finem, sed qui media non adhibet. Hinc contra legem, *Non concupisces*, peccat is, qui consentit motibus concupiscentiæ, aut qui temerè exponit se morali periculo eos habendi, non verò is, qui eos planè invitus patitur, ut docet expressè S. Augustinus epist. 200. *Quamvis, inquit, insint, dum sumus in corpore mortis hujus, desideria peccati, si nulli eorum adhiberemus assensum, non esset unde diceremus Patri nostro, qui est in Cælis: Dimitte nobis debita nostra.* Hic autem per desideria peccati, motus concupiscentiæ manifestè intelligit.

Obj. 2. S. Augustinus variis locis docet nos peccare formaliter per motus concupiscentiæ, etiam secluso omni consensu voluntatis. Ergo, &c. *Neg. ant. Probabilis.* Nam 1. dicit cum Ambrosio, concupiscentiam esse iniquitatem, quia iniquum est, ut caro con-

cupiscent adversus spiritum. 2. Dicit nos à concupiscentia non solum miseros, sed etiam malos esse, 3. Dicit concupiscentiam esse peccatum, quia inest illi inobedientia contra dominatum mentis. R. ad 1. Augustinum cum Ambrosio, nomine iniquitatis inordinationem intelligere, & concupiscentiam vocare iniquitatem, quia est quædam inordinatio, quæ spiritui adversatur, sollicitando nos ad id agendum, quod spiritus dicitur esse turpe & illicitum. R. ad 2. nos per concupiscentiam malos esse, quatenus per eam ad peccatum proclives sumus, & per eam se ipsa sæpè ad peccandum inducimus. R. ad 3. S. Doctorem nomine peccati intelligere quandam defectum in genere moris, & nomine inobedientiæ inordinationem quandam. Vocat igitur S. Doctor concupiscentiam peccatum, quia insurgit & rebellat adversus mentem, ad id faciendum, quod illa reprobat, provocando, & ab eo faciendo, quod illa approbat, deterrendo, & ita quantum in se est impediendo ne mens, seu recta ratio dominetur in homine, voluntatem ab eo quod pravum est, abducendo, & ad id quod rectum est, inducendo efficaciter.

At inquit. S. Doctor docet etiam Deum odisse concupiscentiam. At Deus non odit nisi peccatum. Ergo, &c. R. neg. min. Deus enim non solum culpam odit, sed etiam malum, quod ad culpam sollicitat. Deus igitur, secundum Augustinum, odit concupiscentiam, non quod culpa sit, sed quia malum quoddam est nobis intestinum, per quod sollicitamur ad culpam. Deus aliter odit culpam, & aliter concupiscentiam: ita enim odit culpam, ut propter illam nobis indignetur, nosque puniat: at neque nobis indignatur, neque nos punit propter concupiscentiam, secluso omni consensu voluntatis. Odit itaque concupiscentiam secundum se, sicut tentationem, sicut defectum & inordinationem, sicut moralem nostram aegritudinem odisse potest, nobis prohibendo, ne illi consentiamus, nobisque præcipiendo, ut eam, quantum possumus, comprimamus, & ab ea convalescamus. Quod fit per habitum, seu facilitatem, quam nobis comparamus per actus repetitos, quibus motibus ejus constanter obstitimus.

RESPONSIO II.

Motus concupiscentiæ secundum se, & absque omni consensu voluntatis, nequidem possunt esse peccata venialia.

Prob. Nam 1. nemo peccat in eo quod non est in ejus potestate: quis enim peccat in eo quod vitare non potest? Atqui motus concupiscentiæ, usum rationis prævenientes, non sunt in nostra potestate: non enim possumus illos habere vel non habere pro arbitrio voluntatis nostræ, cujus omni actioni rationem præire necesse est. Ergo, &c. 2. Omne peccatum est essentialiter voluntarium, ut jam dictum est. Sed secluso omni consensu voluntatis, motus concupiscentiæ nullo modo voluntarii sunt. Ergo, &c. 3. Si motus concupiscentiæ secundum se præcisè, & absque omni consensu voluntatis, sunt peccata venialia, homo peccat venialiter, quantumvis motum concupiscentiæ patitur invitus, eique quantum potest resistat, sicque peccat, etiam cum facit id totum, quod in se est, ad vitandum peccatum. Absurdum const. Ergo, &c.

Obj. In appetitu sensitivo est libertas inchoata & sufficiens ad peccatum veniale. Ergo motus ejus seu actiones sunt peccata venialia independentes ab omni voluntatis consensu. R. in homine præter appetitum rationalem, & qui est voluntas, non esse alium appetitum præter materiale, cujus motus concupiscentiæ sunt actiones. In appetitu autem materiali nulla est libertas; nunquam enim agit, nisi determinatus ab objecto externo, aut à phantasmate objecti externi vicario, mediante organo sensus interni, ex cujus tali commotione necessario sequitur talis determinatio & fluxus spirituum, & ex tali fluxu spirituum talis determinatio appetitus materialis, seu determinatio appetitus materialis ad talem actionem.

Quæ

Quæ omnia fieri possunt, & sunt absque ullo libertatis exercitio. Vide tract. de Actibus humanis.

Dices. In appetitu materiali sunt quedam virtutes, ut temperantia, fortitudo & mansuetudo. Atqui hæc virtutes non exercentur sine aliqua libertate. Ergo in appetitu materiali est aliqua libertas. Item ex S. Thoma 1. 2. q. 74. a. 2. ad 3. hoc discrimen est inter appetitum sensitivum & membra exteriora, quod hæc sint ad unum determinata, appetitus verò non sit determinatus. Ergo ex S. Thoma, aliquam habet libertatem: potentia enim, quæ non est ad unum determinata, libera est. *R. ad 1. neg. maj.* Nam in appetitu materiali solum possunt esse quedam habilitates ad certos motus, quibus voluntas adjuvari potest ad exercendos actus temperantiae, fortitudinis & mansuetudinis, quique proinde non sunt ipsi actus virtutum, sed solum quedam ad illos adjumenta, & incitamenta; nec sunt actiones liberae, quæ procedunt ab appetitu materiali, qui nunquam in illos e-rumpit, nisi ex antecedenti ad unum determinatione, sed solum quæ procurantur & imperantur à voluntate, quando scilicet voluntas illos re ipsa procurat & imperat. *R. ad 2.* in homine solum voluntatem habere indifferentiam activam, quia sola habet eminentiam & amplitudinem ad id necessariam: unde sola potest ad alterutrum ex oppositis se ipsam determinare. Reliquæ igitur potentiae omnes sunt ex se ad unum determinatae, nec minus ad unum ex se determinatus est appetitus, quam membra exteriora: cum hoc tamen discrimine, quod membra exteriora imperio voluntatis subiacent despotico, appetitus verò materialis politico tantum. Unde membra exteriora voluntati efficaciter volenti reluctari non possunt, at potest appetitus materialis, qui re ipsa sæpè reluctatur, ut quotidiana docet experientia.

ARTICULUS V.

Utrum in appetitu materiali possit esse peccatum, accedente consensu voluntatis.

RESPONSIO.

MOTUS concupiscentiae quandoque nullo modo sunt peccata, quandoque sunt peccata venialia tantum, quandoque sunt peccata mortalia.

Prob. 1. pars. Nam tunc motus concupiscentiae nullo modo peccata sunt, propriè loquendo, quando nullo modo sunt voluntarii. Atqui quandoque nullo modo voluntarii sunt. Sic v. g. quando insurgunt ex dispositione corporis, vel ex aliqua alteratione in corpore facta, vel ex improvisa perceptione imaginationis, vel ex illusione demonis, vel ex licita lectione librorum, aut aliorum narratione, & sic insurgentibus voluntas constanter resistit, eosque conatur comprimere: tunc nullo modo voluntarii sunt, proindeque nullo modo sunt peccata, propriè loquendo, nec ullo modo imputabiles sunt ad vituperium aut poenam. Voluntas autem variis modis potest illis resistere, mentem scilicet aliò avocando, divinum gratiae auxilium implorando, illorum turpitudinem, poenam consentientibus debitam, aliaque pia objecta considerando, illos detestando, &c.

Prob. 2. pars. Nam si voluntas v. g. consentiat etiam perfectè motibus concupiscentiae in re levi, motus concupiscentiae sunt peccata venialia ex genere suo, vel ex parvitate materiae: si consentiat motibus concupiscentiae in re gravi, sed imperfectè tantum, tunc motus concupiscentiae sunt peccata venialia ex indeliberatione actus, & huiusmodi peccata vocantur peccata ex subreptione. Atqui voluntas quandoque consentit motibus concupiscentiae in re levi, ut quando consentit delectationi, quæ percipitur ex moderata sumptione cibi paulò delicatioris; quandoque consentit in re gravi, sed imperfectè tantum, quoties scilicet non potest advertere ad rei gravitatem. Ergo, &c.

Prob. 3. pars. Nam tunc motus concupiscentiae sunt peccata mortalia, quando voluntas plenè & perfecte

Simonnet Theol. Tom. I.

etè consentit illis in re gravi: tunc enim nihil illis deest ad hoc, ut sint mortalia peccata, cum adest materiae gravitas cum pleno & perfectò consensu voluntatis. Atqui quandoque, imò sæpè voluntas plenè & perfectè consentit motibus concupiscentiae in re gravi, ut quando plenè & perfectè consentit delectationi venereæ: nam in delectatione venerea non datur materiae levitas. Ergo, &c.

Quæres 1. Quot modis motus concupiscentiae possit esse voluntarius?

R. 1. Motus concupiscentiae posse voluntarium esse in se, vel in causa. Voluntarius est in se, quando voluntas vult & approbat illum formaliter, vel interpretativè. Voluntarius est in causa, quando sequitur ex actione aliqua, quam absque iusta ratione voluntariè ponimus, & ex qua securum prævidemus, vel saltem possumus & debemus prævidere. 2. Motus concupiscentiae voluntarium in se esse posse dupliciter, formaliter scilicet & interpretativè. Voluntarius est in se formaliter, quando voluntas illi consentit, seu vult & approbat illum formaliter. Voluntarius est in se interpretativè, virtualiter, æquivalenter, quando voluntas illi non resistit, nec conatur illum comprimere: cum enim non modò teneamur non consentire motibus concupiscentiae, illos non velle, nec approbare, sed etiam illis positivè resistere, illos positivè nolle & reprobare; hoc ipso præcisè, quod illis non resistimus positivè, quod illos non positivè nolumus & reprobamus, in illos consentire censetur, quod est consentire interpretativè, seu virtualiter & æquivalenter. Pro quo

Nota. Præceptum hoc, *Non concupisces*, sic est formaliter negativum, ut sit affirmativum virtualiter. Quia formaliter negativum est, prohibet ne consentiamus motibus concupiscentiae, & sub hac ratione obligat pro semper: nunquam enim licet in rem turpem ullo modo consentire, aut morali periculo consentiendi se exponere. Quia verò affirmativum est virtualiter, præcipit, ut positivè resistamus motibus concupiscentiae, & sub hac ratione non obligat pro semper, sed solum pro eo tempore, pro quo adest motus concupiscentiae: tunc enim tenemur illi positivè resistere, & ad illam depellendum, quantum possumus eniti. Ex dictis

Collige. Omnem motus concupiscentiae, cum peccatum sit, hoc ipso quod aliquo modo voluntarius est, peccatum esse posse pluribus modis; & 1. quidem, ut voluntarium tantum in causa, nempe si voluntariè ponas sine iusta ratione actionem, ex qua sequitur, & ex qua securum prævides, aut saltem potes & debes prævidere, sic tamen ut postquam insurrexit, illi neque formaliter, neque interpretativè consentias. 2. Ut voluntarium in causa, & in se, si nimirum & voluntariè ponas sine iusta ratione actionem aliquam, ex qua sequitur: & postquam insurrexit, consentias illi formaliter, vel interpretativè. 3. Ut voluntarium in se formaliter, si nimirum non posuisti causam illius, vel saltem non posuisti culpabiliter, sed illi positivè consentis, illum positivè volendo & approbando. 4. Ut voluntarium in se interpretativè, si præcisè voluntas ei neque consentiat, neque resistat positivè, sed permittat, circa illum merè negativè se habendo. Quovis autem ex his modis voluntarius sit, si gravem habet turpitudinem, mortale peccatum esse potest. Unde mortale peccatum est, quamvis ei, cum insurrexit, non consentias, sed è contra positivè resistas, atque ad eum depellendum, quantum potes, coneris, si absque iusta ratione voluntariè posuisti actionem, ex qua per se & proximè sequitur, & prævidisti, aut saltem prævidere potuisti securum. Pro quo

Observa. Duplex distingui potest & debet actio, ex qua sequitur motus concupiscentiae, una scilicet quacum per se & proximè connexus est motus concupiscentiae; altera verò quacum motus concupiscentiae connexus est remore tantum & per accidens. Motus autem concupiscentiae in re gravi semper est peccatum mortale, si sequatur ex actione, quacum per se &

Cc 4 proxi-